

Sammelpbd. #

15.

+



Q. D. B. V.
DISPVATIO PHILOSOPHICA PRIMA
DE
NOTIONE OBLI-
GATIONIS ATQVE
LEGIS

QVAM
AVSPICIIS DIVINIS
IN AVDITORIO GYMNASII IL-
LVSTRIS QVEDLINBVRGENSIS
MAIORI

a. d. V. Id. April. c. lo Is cc xxxix. HORA I. A MERIDIE

PRAESIDE
M. IO. GASP. EVER. WINEKENIO
GYMNASII ILLVSTRIS QVEDLINBVRGEN-
SIS RECTORE ET SOCIETATIS LATINAE JENEN-
SIS SODALI

PVBLICE TVEBITVR
CHRISTIANVS SALFELD
QVEDLINB. SAXO.

QVEDLINBVRGI,
LIT. GODOFR. HENRICI SCHWANII, 'AVL. TYPOGR.

O. D. R. V.
 DISPUTATIO PHILOSOPHICA PRIMA
 DE
NOTIONE ORBI-
GATIONIS ATQUE
LEGIS
 IN
 A VASCIIS DIVINIS
 IN AUDITORIO GYMNASII II-
 LUSTRI QVEDLINBURGENSIS
 MAIORI
 A. M. 1744. die 10. mensis. HORATII MERIDIE
 PRÆSIDE
 M. IO. CASP. EVER. WINCKENIO
 GYMNASII ILLUSTRI QVEDLINBURGEN-
 SIS RECTORIS ET SOCIETATIS LATINÆ JENÆ
 PUBLICE TYPIS
CHRISTIANVS SALLELD
 QVEDLINBURG.
 MDCCLXXXIV.

LIT. GODEF. HENRICI SCHWANN, AUL. TYPOG.



MADAME

A

S. A. S^{me} MADAME

LA PRINCESSE

MARIE ELISABETH

HERITIERE DE NORVEGVE

DVCHESSE DE SLESVIC HOLSTEIN;

STORMARN ET DES DITMARIENS, ABBESSE

DE L' ABBAYE LIBRE IMPERIALE ET SECLIERE DE

QUEDLINBOURG, COMTESSE D' OLDENBOVRG

ET DE DELMENHORST.



MADAME

Comme de grandes ames possèdent toujours toutes les vertus possibles ; il est ainsi qu'on les voit conjointes dans le cœur Royal de V. A. S^{me}, & si j'en craignois d'offenser la modestie de V. A. S^{me} j'aurois soin à étaler amplement les vertus heroiques, qui Lui attirent l'admiration & la veneration de tout le monde. Mais je n'en ose rien dire, d'autant plus, que je ne me sens que trop foible pour les exprimer, selon ce qu'elles meritent. Car, sans entrer en detail, si je me voudrois mettre en devoir de louer seulement la Clemence avec la quelle Elle ne dedaigne point embrasser tous ceux, qui ont l'honneur de baiser son sceptre, ce seroit l'entreprise, qui ne manqueroit point de surpasser de fort loin toutes mes forces. Même seroit-il en vain, si je m'efforcois de donner de dignes louanges a la grace, dont V. A. S^{me} a toujours comblé la maison a la quelle je dois ma naissance. Cependant Madame il n'est point nécessaire, que j'admire Votre
emi-

eminente bonté, ni a l' egard de ses fujets ni a l' egard de celle, dont ma famille se louë; veu que je naie qu' a me regarder moi même pour en trouver mille témoignages. Car il-y-a deja long temps Madame que j' ai eu le bonheur de faire mes études au college très celebre, qui sous Votre protection & sous Vos auspices se trouve dans L' Etat florissant, ou l' on le voit aujourd' hui. Ainsi étant redevable après Dieu a V. A. S^{me} de mes études, j' ai toujours songé a en témoigner ma tres humble reconnoissance. Et quoique je n' aie rien souhaité plus ardemment, que de m' acquiter, comme il faut, de ce mien devoir toute fois ma foiblesse m' en a jusqu' ici empêchée. Or ayant enfin rencontré Madame une belle occasion de Vous declarer mes tres humbles respects & ma tres grande soumission; je serois coupable au dernier degré, si je la laissois échapper sans rien dire; & je serois même indigne de cette bienveillance, que Vous avez prodigué envers moi, si jenegligerois de Vous consacrer ce petit ouvrage. Voila donc Madame les premices de mes études, & qui n' appartiennent qu' a celui, qui en a été l' auteur. Par cette même raison Madame je prens la liberté de Vous offrir ces feuilles, q' Elle le regarde d' un Oeil tres gracieux, & q' Elle daigne les recevoir comme une marque de mon tres humble devouement & de ma fidelité inébranlable. Maintenant comme je suis sur mon de part pour frequenter les academies je supplie

V. A. S^{me}

V. A. Sme, tres humblement, de permettre que j'ose
Vous persuader, que l'eloignement n'effacera jamais
le doux souvenir de cette grace, dont il Vous a plu dai-
gner Votre tres humble serviteur. Qui me soit donc
permis de Vous assurer que mes études & toute ma vie
seront toujours devouéz au service de V. A. Sme, afin
de meriter par une exacte obeissance la continuation de
Votre grace preferable a tout autre bonheur. Au res-
te je ne cesserai jamais de supplier le supreme Etre,
qu'il Vous conserve pour le bien de Vos fideles sujets
pendant une longue suite d'anneés dans une santé tres
parfaite, a fin qu'a l'avenir je puisse jouir du bonheur
de Votre protection, & d'être de tout mon coeur jus-
qu'au dernier moment de ma vie avec tout & le plus
profond respect

MADAME
DE
VOTRE ALTESSE SERENISSIME

à Quedlinb. ce 2. d'Avril
1739.

*le tres humble tres fidele & tres
soumis serviteur & sujet*

CHRETIEN SALFELD.

ORNATISSIMO RESPONDENTI CO-
GNATO SVO

S. D.

PRAESES.

Singularis prorsus, ORNATISSIME COGNATE, in-
dolis TVAE praestantissimae felicitas, & incredibilis fere est
ingenii TVI in litteras amoris ardor, quem infidiosae illae
voluptatum illecebrae, adolescentibus nunquam non pericu-
losae & exitiosae saepe numero, nihil dum restinguere aut mi-
nuere potuerunt. Vtrumque & mihi dudum & bonis omnibus
multis iisque egregiis probasti argumentis, & nunc publico quo-
dam eximie confirmas specimine. Quod cum TIBI impense &
ex animo gratuler, tum officii in TE mei esse duco, praeclaras
animi TVI dotes, acutam illam ingenii suavitatem nemini gra-
uem jucundam omnibus, illam morum ad severas virtutis atque
Christianae religionis leges compositorum elegantiam, qua ami-
cos in officio retinere & ferocissimos quosque TIBI soles concil-
liare, istam denique TVORVM in litterarum studiis profectum
maturitatem, praedicare publice atque bona fide laudare. Atque
haec omnia Jenensis, in quam cogitas, academia & perfectiora
reddet & illustriora. TV modo cogites academias esse scientia-
rum atque virtutum omnium mercatus, vnde humanitas, doctri-
na, religio, jura, leges ortae veluti in omnes terras distri-
buitae putantur, sed vitam quoque academicam esse

Periculosae plenum opus aese.

Vtraque enim cogitatio ingenii TVI probitatem mirifice confir-
mabit, TE a periculis immunem praestabit & maxime existimu-
labit, vt ad scientias atque virtutes nauibus, quod in proverbio
est, omnibus atque quadrigis contendas Deum denique sup-
plex veneror, velit Tibi adesse propitius atque volens & omnes
TVOS sospitare conatus, vt patriae atque splendidissimae fami-
liae TVAE ornamentum aliquando has atque praefidium.

Vale! & me, qui TVI semper ero studiosissi-

mus amare perge.

En! hodie exultat juvenum dilecta corona,
 Musarum soboli nam dixit noſter Apollo:
 Non Academiis tribuas certamina tantum,
 Aſt & Gymnaſiis haec diſceptatio laudi eſt.
 Quae cum cognouit juvenis lectiſſimus atque
 Arte ſua praeſtans, tum gaudet aditque Magiſtrum,
 Deliciumque ſuum rogitat, ſibi copia fiat
 Mentis tentandi vires certamine docto.
 Hoc deſiderium pius approbat ille Magiſter,
 Atque ſuo Salfeldo operis docti exſtitit auctor.
 Hocce die quare felici aſcende cathedram,
 Fortiter, &, ſuauiſ juvenis, Te ſiſtito clarum
 Doctrina varia, pietate & moribus aequis.
 Sed mihi permiſſe, vt toto Tibi pectore grater

JO. WILH. WVLFFERT O.S.

Opponens.

Aθηναίων ἀγαθὴν ἀποκρίσιν ἰσχυρῶς ἐπιπέμψω.
 Ἄλλοι τῶν ἐστὶ σπουδῆς μετὰ γνῶσιν ἐκείνῃς!
 Τολμᾶς μαρνᾶσθαι ἐπίσει πολυσπερέεσσιν
 καὶ τε πάλως πράττεις, ἐφ' ἀσκήσει γῆ πρὸς σε
 θαρρῶν, κ' ἐπ' προκοπαῖς ἐν Φιλ.σ.Φη μάλλον
 τοιούτων κλέεων, φίλε θέλῃσι σοι συγχαίρω
 καὶ κραδίης χάριμα γλυκερὸν γάτος ἐμθαίξω.

JOANNES FRIDERICVS ECKHARDVS

Opponens.

Gelehrt und werther Freund! so willst Du ſelbſt ſchon
 Der weiſen Pallas Dich als einen Helben zeigen?
 Wiſt Du für ihren Ruhm ſo früh zum Kampff-Platz ſteigen?
 Ja tritt nur auf! Ich weiß, Du trägtſt den Sieg davon
 Denn Deine Munterkeit, das nicht gemeine Wiſſen
 Das wir ſchon längſt an Dir mit Recht bewundern müſſen,
 Die zeigen zum voraus die holde Nachricht an:
 Wird Saal-Arben Dich eifrig umarmen und umfangen;
 So mißt Du bald mit Ruhm im grünen Lorbeer prangen,
 Weil dieſer Deinen Preis nach Wuñſch belohnen kan.

JO. CHRIS. HÜLSNERVS Altad. S.

Opponens.

⊕ ⊗ ⊙ ⊕ ⊗ ⊙

Q. D. B. V.
DISSERTATIO PRIMA
DE
NOTIONE OBLIGATIONIS AT-
QUE LEGIS

PROOEMIUM.

§. I.

Obligatiois atque legis notiones permagni esse ad juris naturalis scientiam & uniuersam philosophiam practicam momenti, res est profecto testatissima. Mirum igitur videtur, priscos philosophos de iisdem diligentius atque curatius tradendis haud valde fuisse sollicitos. Quotquot enim eorum de legibus scriperunt, CRITO, a) SIMON, b) XENOCRATES, c) HERACLIDES, d) ANTISTHENES, e) ZENO CITIIEVS, f) SPHAERVS g) alique, generales legis atque obligationis notiones & vtriusque differentias varias vix cursim atque leuiter attigisse, contra vero leges naturales docuisse, leges ferendi prudentiam praecepisse, leges denique in variis ciuitatibus sancitas videntur examinasse.

§. 2. PLATO quidem, quem de legibus scripsisse accepimus, h) in *Minoe* paucis quid sit lex? disputat i), postea *Minois* causam contra eos agit, qui illum

A

varie

-
- a) DIOGEN. LAERT. de vitis philos. L. II. segm. 121. p. m. 151. ed. Wettstein. b) DIOGEN. LAERT. l. c. segm. 121. p. m. 151. c) *ἠσπί δυνάμειος νόμου* librum scripsit DIOGEN. LAERT. L. IV. segm. 12. d) DIOGEN. LAERT. L. V. segm. 87. e) DIOGEN. LAERT. L. VII. segm. 4. f) DIOGEN. LAERT. L. VII. segm. 4. g) DIOGEN. LAERT. L. VII segm. 177. h) DIOGEN. LAERT. L. III. segm. 60. STANLEY. hist. philos. P. IV. p. 318. edit. Lipf. 1711. i) FABRIC. Bibl. Gr. L. III. cap. 1. §. 33.

varie momorderant; in illis vero duodecim libris *visum*
επι νομοθεσίας, id maxime operam dat, vt rempubli-
 cam legibus instituat legesque ferendi prudentiam
 pandat. k)

§. 3. Jam THEOPHRASTVS ERESIVS in libris,
 quos *de legibus* scriptos reliquerat l), omnium fere ciui-
 tatum, non Graeciae modo sed Barbariae etiam, vt ait
 MENAGIVS, m) leges tractauerat.

§. 4. CICERO denique in tribus n) *de legibus libris*
 suae reipublicae, quam ex populi potestate & opti-
 matum auctoritate temperat, leges dare consentaneas
 instituit; o) primo vero in libro id potissimum egit,
 vt legis quadam definitione tradita iuris veluti exordia
 ex ipsa natura & intima repetat philosophia, p) & quae-
 dam quoque legum naturalium strictim exponat effata.

§. 5. Recentiores vero philosophi ex *obligationis*
 atque *legis notionibus* omnem juris naturalis scientiam
 pendere adeoque ab iisdem proficisci debere aduer-
 tentes, curatius easdem expenderunt, generales *legis*
 atque *obligationis* condiderunt definitiones, vtriusque
 quasdam species constituerunt earumdemque differ-
 entias tradiderunt perspicue. Hinc factum est, vt, ex
 quo *jurisprudendiae naturalis & vniuersae philosophiae*
practicae vigere coepit studium, nemo harum humano
 generi vtilissimarum scientiarum praeceptiones eno-
 dan-

k) GABRIEL NAVD. sp. POPE - BLOVNT in censura celebrior. au-
 ctor. p. m. 29. l) DIOGEN. LAERT. L. V. segm. 44. m) in
 Diogen. Laert. L. V. segm. 44. p. m. 208. n) CICERO quin-
 que ad minimum de legibus libros scripsit, quod ex MA-
 CROBIO probat Jo. DAVIS, praef. libr. i. de LL. praemiss. o) vid.
 HADR. TURNER, in argum. libror. de LL. o) v. L. I. de legi-
 bus cap. 6. p) v. L. I. de Legibus cap. 6.

dando tradendoque ingenii vires periclitari orbem-
 que litteratum sibi voluerit deuincire, quin operam
 etiam in hisce notionibus extricandis haud exiguam
 posuerit. Quin fuerunt quoque, qui hunc locum aut
 ejus certe aliquam partem data opera & singularibus
 persequerentur libellis. Quorum quidem indicem
 hoc loco pertexere cum non vacet: tum non pos-
 sumus non HENRICI KOEHLERI, philosophi Je-
 nensis de iurisprudencia naturali & vniuersa philoso-
 phia practica, cum viueret, praeclare meriti, laudare
 de *obligatione morali* diatriben. q)

§. 6. Non deerunt igitur, qui hoc argumentum
 a viris summis jam occupatum existimantes nos, qui i-
 dem nunc sumus exposituri, ad raum vsque & tussim
 ab aliis decantata recolare eaque re actum agere cen-
 seant. At liceat heic nobis contra hosce rigidos censo-
 res causam nostram orare. Quamuis nimirum multi
& summi etiam ingenii viri hasce *obligationis* atque *le-
 gis* notiones diligentius excusserint: relicta tamen no-
 bis spicilegii post tantam messem copia.

§. 7. Multi sane *legis* atque *obligationis* *genus* defi-
 nituri, *legis* r) tantum atque *obligationis* s) *positivae*

A 2

tra-

q) Prodiit Jen. 1723. r) Sic legis definitiones ab ARISTOTELE C. I.
 rhet. ad Alex. p. 731. T. II. opp. DIONYS. HALICARNASS. L. X. p.
 629. ed. Sylburg. DEMOSTHENE & PAPINIANO (v. L. I. & 2. D.
 de legibus) traditae non sunt generis legum, sed legis *positivae*
& *ciuilibus* notiones. Quamquam nec illa, quam DEMOSTHE-
 NES docuit, legis notio definitionum numero habenda sit;
 quod jam obseruauit NODT. ad tit. D. de legibus T. II. opp.
 p. m. II. s) v. *Rat. prael. Wolff. §. 4. c. 6. Sect. II. p. 192. ed.*
 1735. Quae vero pr. *Instit. de Obligatou.* docetur obligationis
 notio, est ipsius *obligationis ciuilibus Romanae quaedam notio*; im-
 mo non omnes *obligationes ciuiles Romanas* complectitur,
 sed

tradiderunt definitiones. Plerique *legis* quidem atque *obligationis moralis* definitiones summa cura tradiderunt, *genera* tamen *legum obligationumque summa* ne attigerunt quidem. Taceo alia, quae a summis, qui hunc locum pertractarunt, viris vel praetermissa videntur vel consulto relicta.

§. 8. Vide'n igitur, *lector erudite*, esse in hoc argumento, quae nondum satis declarata, digna tamen sint, quae diligentissime explicantur. Vti enim *notiones vniuersalissimae* omnes *sive longissime parentes* omnibus lucem atque stabilitatem largiuntur scientiis: ita haec quoque *generum*, tam *summi* quam *inferiorum*, *obligationis atque legis* notiones & ad *vniuersalissimas philosophiae practicae notiones* pertinent, & idcirco cum ad explicandas tum ad demonstrandas nobilissimae huius scientiae praeceptiones mirum quantum faciunt. Sunt quoque haec notiones *directrices*, adeoque in inueniendis *veritatibus moralibus atque politicis* magnum habent vsum. t)

§. 9. Nos igitur, censorum *ἐξουσίαν* gannitus nil curantes, hoc argumentum plenissime edisceremus. In eodem vero persequendo hac ratione versabimur, vt primo quidem *notiones obligationis atque legis generalissimas* explicemus, deinde *species* tam legis quam obligationis recte constituamus riteque definiamus, mox *propositiones generum atque specierum*, tam obligationis

sed illas tantum, quae ex contractibus aliisque pañtionibus priuatis oriuntur. Atque hoc jam obseruauit cl. BARBEYRAC in not. 2. ad §. 5. cap. 6. L. I. operis Puffendorffiani de I. N. & G. t) Vide quae *illustris WOLFFIUS*, a cuius ore pependisse nos in summa ducimus felicitate, de *notionibus directricibus* disputat in *hor. subseciu. Marburgens. trim. vern. 1729. no. IV. §. 3. 5.*

nis quam legis, *affectiones & mutuas relationes* pronuntiantes demonstremus, denique quaestiones varias, quae ex hisce philosophiae practicae *praenotionibus* definiiri possunt, & doceamus & dirimamus. Sed haec omnia pluribus fient dissertationibus per temporis intervalla a nobis conscribendis tuendisque publice a disciplinae nostrae alumnis.

§. I.

ALtissime vero ordiendum, atque ipsum omnis disputationis nostrae exordium a notionibus *agentis* atque *actionis* ducendum. *Agens* dicitur quidquid agere potest. *Actio* vero nobis hoc loco omne illud est, quod, cum in se possibile est, tum fieri etiam ab agente potest.

§. 2.

Non ignoramus definitiones *actionis* atque *passionis* ab *illustr. WOLFFIO* praeclare traditas. a) Verum cum ex illa, quam (§. I.) docuimus, *actionis* definitione facilius propositiones colligantur, eandem hoc loco *WOLFFIANAE* esse praefarendam statuimus. Cacterum quisque videt, quae nec in se possible sunt nec proinde ab agente fieri possunt, aut cum possible sint ab agente tamen fieri nequeunt, *actionum* censu non esse habenda.

§. 3.

Actio positiva vocatur, quae actu suscipitur; *actio* vero *privativa* quae, tamen si agentis essentiae atque naturae consentanea, ab agente non suscipitur. b)

A 3

§. 4.

a) §. 713. 714. Ontol. b) §. 24. P. I. philos. pr. vniuersal. Wolff.

§. 4.

Committere est actionem suscipere ; *omittere* vero est actionem non suscipere sed ab eadem abstinere c)

§. 5.

Committuntur itaque actiones *positivae*, *omittuntur* vero actiones *privativae* (§. 3. 4.)

§. 6.

Actio *positiva* dicitur etiam *factum commissionis* ; actio vero *privativa* *factum omissionis*. d)

§. 7.

Nunc *summum* quoque *obligationum* genus accuratius exprimemus definitionibus. *Obligare* dicitur agens, quod necessitate ad agendum vel non agendum agens aliud adigit. *Obligari* vero dicimus agens, quod necessitate ad agendum vel non agendum adigitur.

§. 8.

Obligatio igitur *activa* est actus, quo agens ad agendum vel non agendum necessitate adstringitur.

§. 9.

Ipsa autem necessitas agendi vel non agendi vocatur *obligatio passiva*.

§. 10.

Obligationis activae a *passiva* non est prorsus infolens & inaudita distinctio. Cui fidem faciunt quae in lexico philosophico disputat *summe vener. WALCHIVS*. e) Definitionibus vero a nobis antea (§. 7. 8.) traditis *genus obligationum summum* exhiberi infra demonstrabimus.

§. 11.

Obligatio activa ad committendum vel omittendum vocatur *obligatio activa affirmans*. *Obligatio activa*

c) §. cit. philos. pract. vniuersal. Wolff. d) §. 24. P. I. philos. pr. vniuers. Wolff. e) art. Verbindlichkeit p. 2656.

va ad non committendum vel non omittendum dicitur *obligatio actiua negans*.

§. 12.

Obligatio passiva adfirmans est necessitas committendi vel omittendi. *Obligatio passiva negans* est necessitas non committendi vel non omittendi.

§. 13.

Obligationis moralis passivae negantis atque *adfirmantis* definitiones docet *illustr. WOLFFIVS. f*) Eisdem determinationibus specificis (§. 236. ontol. Wolff.) liberatas latius patentes hoc est *uniuersaliores* (§. 54. log. Wolff.) effecimus. Ex his vero *uniuersalioribus notionibus* eliciimus *determinatione arbitraria* notiones antea (§. II.) traditas. Cum vero quaedam *moralis obligationis* species *positivae* obligationis nomen dudum sortita fuerit: malimus hic obligationem *adfirmantem* adpellare, quam *ill. WOLFFIVS positivam* cognominat.

§. 14.

Posita obligatione actiua ponitur passiva obligatio.

DEMONSTRATIO.

Posita enim obligatione actiua ponitur actus, quo agens ad agendum vel non agendum necessitate adstringitur (§. 8.) Posito vero actu, quo agens ad agendum vel non agendum necessitate adstringitur, ponitur ipsa agendi vel non agendi necessitas. Posita igitur obligatione actiua, ponitur ipsa agendi vel non agendi necessitas. Necessitas agendi vel non agendi est ipsa obligatio passiva (§. 9.) Posita itaque obligatione actiua, ponitur passiva obligatio. Q. E. D.

§. 15.

Actus illius, quod agens ad agendum vel non agendum

f) p. 979. P. I. Theol. natural.

gendum necessitate quadam adigit adeoque obligat, vocatur *obligans*. *Actus* vero illius, quod sibi mel inducit obligationem passivam, qua talis, dicitur *obligatorius*.

§. 16.

Quamvis leuiiores videantur hae definitiones; ex illis tamen sequentium & definitionum & propositionum pendent momenta. *Actus* quidem *obligatorii* definitionem tradit *illustr. WOLFFIUS*. g) Eundem ab *obligante* nos hoc loco sollicite distinguimus. Discriminis quidem fundamentum nemo tam hebes atque tardus est, quin perspiciat; eiusdem vero vsus haud sane exiguus infra variis docebitur argumentis. Quod si vero in eodem designando barbare locuti adeoque ab officio alienum fecisse quibusdam videamur; illi cogitent, si possunt, indolem stili philosophici legantque quae scripsimus in dissertatione de *necessitate hypothetica primario praescientiae diuinae fundamento*. h)

§. 17.

Obligatio actiua effectū carere dicitur, qua posita non ponitur obligatio passiva.

§. 18.

Obligatio actiua effectū carens, reapse non est obligatio actiua vera.

DEMONSTRATIO.

Si enim obligatio actiua effectū carens vera foret obligatio actiua; ea posita poneretur obligatio passiva (§. 14.) Sed posita obligatione actiua effectū carens non ponitur obligatio passiva (§. 17.) Obligatio igitur actiua effectū carens non est vera obligatio actiua.
Q. E. D.

§. 19.

g) §. 121. philos. pract. vniuers. h) §. 8.

§. 19.

Obligatio igitur actiua effectu carens speciem tantum mentitur obligationis actiuae (§. 18.)

§. 20.

Obligatio nulla est, cum obligationis speciem tantum mentitur, re vera autem non est obligatio.

§. 21.

Obligatio igitur actiua effectu carens nulla est (§. 19. 20.)

§. 22.

Obligatio passiva ad committendum, quod impossibile est, nulla est.

DEMONSTRATIO.

Si enim obligatio passiva ad committendum, quod impossibile est, vera foret obligatio passiva; esset sane necessitas suscipiendi actionem positivam (§. 9. 5. 4.) Actio vero positiva debet esse possibile quid (§. 1.) Si itaque obligatio passiva ad committendum, quod impossibile est, foret vera obligatio passiva; eadem esset necessitas suscipiendi siue agendi quod possibile est. Sed necessitas agendi quod possibile est, obligatio est passiva ad committendum quod possibile est (§. 9.) Si itaque obligatio passiva ad committendum quod impossibile est, foret vera obligatio passiva; obligatio passiva ad committendum quod est impossibile, foret obligatio passiva ad agendum quod possibile est. Sed consequens est absurdum adeoque falsum. Est itaque falsum quoque antecedens, obligationem nimirum passivam ad committendum quod est impossibile, veram esse obligationem passivam. Obligatio igitur passiva ad committendum quod est impossibile, non est vera obligatio passiva, sed nulla. Q. E. D.

B

§. 23

§. 23.
Obligatio passiva ad omissionem actionis impossibile nulla est.

DEMONSTRATIO.

Omissio enim actionis impossibilis contradictionem inuoluit (§. 19. ontol. Wolff.). Jam obligationis passivae ad omissionem actionis impossibilem notio inuoluit omissionem actionis impossibilem. Notio idcirco obligationis passivae ad omissionem actionis impossibilem, inuoluit contradictionem. Notio contradictionem inuolvens re verâ nulla est notio. Notio ea propter obligationis passivae ad omissionem actionis impossibilem nulla est. Illud, cuius nulla est notio siue cui notio nulla respondet, nihil est (§. 57. ontol. Wolff.) Obligatio itaque passiva ad omissionem actionis impossibilem nulla est. Q. E. D.

§. 24.
Obligatio passiva adfirmans ad impossibile nulla est.

DEMONSTRATIO.

Obligatio enim passiva adfirmans est necessitas vel committendi vel omittendi (§. 12.). Obligatio igitur passiva adfirmans ad impossibile, est vel necessitas committendi quod impossibile est, vel necessitas omittendi illud, cuius omisio impossibilis. Necessitas committendi impossibile, est obligatio passiva ad committendum quod impossibile; necessitas omittendi illud, cuius omisio impossibilis, est obligatio passiva ad omissionem actionis impossibilem (§. 9.). Obligatio igitur passiva adfirmans ad impossibile, est vel obligatio passiva ad committendum quod impossibile, vel obligatio passiva ad omissionem actionis impossibilem. Obligatio passiva ad committendum quod impossibile nulla est

est (§. 22.); obligatio item passiva ad omissionem actionis impossibilem nulla est. (§. 23.). Omnis igitur obligatio passiva adfirmans ad impossibile nulla est. Q. E. D.

§. 25.

Obligatio activa adfirmans ad impossibile nulla est.

DEMONSTRATIO.

Obligatione activa adfirmante ad impossibile posita, ponitur obligatio passiva adfirmans ad impossibile (§. 14.). Sed obligatio passiva adfirmans ad impossibile nulla est (§. 24.). Posita igitur obligatione activa adfirmante ad impossibile, nulla ponitur obligatio passiva adfirmans ad impossibile. Obligatio igitur activa adfirmans ad impossibile effectu caret (§. 17.) adeoque nulla est (§. 21.). Q. E. D.

§. 26.

Obligatio passiva ad non committendum illud, cuius non-commisio impossibilis, nulla est.

DEMONSTRATIO.

Non committere est omittere, & non-commisio est omisio (§. 4.). Obligatio igitur passiva ad non committendum cuius non-commisio est impossibilis, est obligatio passiva ad omittendum illud, cuius omisio est impossibilis. Omnis vero obligatio passiva ad omittendum illud, cuius omisio est impossibilis, nulla est (§. 23.). Obligatio igitur passiva ad non committendum, cuius non-commisio est impossibilis, nulla est. Q. E. D.

§. 27.

Obligatio passiva ad non omittendum illud, cuius non-omisio est impossibilis nulla est.

DEMONSTRATIO.

Non omittere aliquid est idem committere; &

non-omissio rei est eiusdem commissio (§. 4.). Obligatio igitur passiva ad non-omittendum illud, cuius non-omissio est impossibilis, est obligatio passiva ad committendum impossibile. Sed obligatio passiva ad committendum impossibile nulla est (§. 22.). Obligatio igitur passiva ad non-omittendum illud, cuius non-omissio est impossibilis, nulla est. Q. E. D.

§. 28.

Obligatio passiva negans ad impossibile nulla est.

DEMONSTRATIO.

Obligatio passiva negans ad impossibile, est vel obligatio passiva ad non-committendum illud, cuius non-commissio est impossibilis, vel obligatio passiva ad non-omittendum illud, cuius non-omissio est impossibilis (§. 9. 12.). Sed obligatio passiva ad non-committendum illud, cuius non-commissio est impossibilis, nulla est (§. 26.); obligatio item passiva ad non-omittendum illud, cuius non-omissio est impossibilis, nulla est (§. 27.). Omnis igitur obligatio passiva negans ad impossibile nulla est. Q. E. D.

§. 29.

Obligatio activa negans ad impossibile nulla est.

DEMONSTRATIO.

Obligatione enim activa negante ad impossibile posita, ponitur obligatio passiva negans ad impossibile (§. 14.). Sed obligatio passiva negans ad impossibile nulla est (§. 28.). Posita itaque obligatione activa negante ad impossibile, nulla ponitur obligatio passiva. Obligatio ideo activa negans ad impossibile effectu caret (§. 17.) adeoque nulla est (§. 21.). Q. E. D.

§. 30.

Obligatio activa ad impossibile nulla est.

DE-

DEMONSTRATIO.

Omnis obligatio actiua est vel ad committendum vel ad omittendum vel ad non committendum vel ad non omittendum. Obligatio actiua ad committendum vel omittendum est obligatio actiua adfirmans (§.11.); obligatio vero actiua ad non committendum vel non omittendum est obligatio actiua negans (§.11.). Omnis igitur obligatio actiua est vel adfirmans vel negans. Hinc vero manifestum est, omnem quoque obligationem actiuam ad impossibile esse vel adfirmantem vel negantem. Sed obligatio actiua adfirmans ad impossibile nulla est (§.25.); obligatio quoque actiua negans ad impossibile nulla est (§.29.). Obligatio idcirco actiua ad impossibile nulla est. Q. E. D.

§. 31.

Obligatio passiuua ad impossibile nulla est.

DEMONSTRATIO.

Omnis enim obligatio passiuua est vel ad committendum vel ad omittendum vel ad non committendum vel ad non omittendum (§.4.9.). Obligatio passiuua ad committendum vel omittendum est obligatio passiuua adfirmans; obligatio vero passiuua ad non committendum vel non omittendum est obligatio passiuua negans (§.9.12.). Omnis itaque obligatio passiuua vel adfirmans est vel negans. Obligatio idcirco omnis passiuua ad impossibile est vel adfirmans vel negans. Enim vero obligatio passiuua adfirmans ad impossibile nulla est (§.24.); obligatio item passiuua negans ad impossibile nulla est (§.28.). Obligatio igitur passiuua generatim ad impossibile nulla est. Q. E. D.

§. 32.

Nulla igitur datur ad impossibile obligatio (§.30.31.); siue nemo ad impossibile potest obligari.

§. 33.

Haec quidem propositio & celebratissima est & in prouerbium fere abiit i), & inter ipsa Jctorum placita relata. k) Caeterum quidquid *impossibile* est, illud vel *absolute* vel *respectiue* est *impossibile*. Ad utrumque hanc propositionem pertinere, vt neque ad *absolute impossibile* neque ad *respectiue impossibile* sit obligatio, & quisque facile viderit & nos infra magis declarabimus. Multa quoque controuersia vnq iam fuit, *num obligatio sit ad ea, quibus praestandis vires sufficientes sua culpa amisit agens l)?* quae cum ardua satis sit, tum a nobis minime est negligenda. Eandem vero aliasque multa infra demum disceptabimus.

§. 34.

Necessitas omnīs vel *absoluta* est vel *hypothetica*. *Absolutae* quidem *necessitatis* hoc loco nullum est momentum. *Necessitas* vero *hypothetica* vel *moralis* est vel *physica*.

§. 35.

Necessitas agendi vel non agendi *physica* est *obligatio passiva physica*.

§. 36.

Necessitas agendi vel non agendi *moralis* vocatur *obligatio passiva moralis*.

§. 37.

i) GROTIUS de I. B. & P. L. II. cap. 13. §. 8. p. 245. edit. Amstel. 1646. Satis manifestum est, inquit, ad omnino impossibile neminem obligari. PUFFENDORF. de I. N. & G. L. III. cap. 7. §. 2. ex interpret. Gall. Barbeyr. de hac propositione ita censet: *cette maxime est dans la bouche de tout le monde.*

k) v. L. 185. D. de R. I.

l) v. Hochstetter. de Iure poenar. Sect. V. §. 3. not. e. p. 51.



§. 37.

Haec est obligatio illa, de qua loquitur WOLF-
FIVS, m) itemque PVFFENDORFFIVS n).

§. 38.

Actus, quo agens ad agendum vel non agendum
necessitate physica adigitur est *obligatio actiua physica*.

§. 39.

Actus, quo agens ad agendum vel non agendum
necessitate morali adigitur, vocatur *obligatio actiua
moralis*.

§. 40.

Haec est *nominalis* obligationis actiuae moralis *de-
finitio*. Infra eiusdem *definitionem realem* indagabi-
mus.

§. 41.

Quid *regula* sit ex *Ontologia* satis constat o). Regu-
la vero ad quam actiones suas agens determinare obli-
gatur, est *lex*.

§. 42.

Regula obligatoria vocatur illa, ad quam agens actio-
nes suas determinare obligatur. Hinc patet *omnem le-
gem esse regulam obligatoriam, omnemque regulam obliga-
toriam esse legem* (§. 41.). *Agens vero actiones suas ad re-
gulam quamdam determinat siue componit* cum id com-
mittit omittitue, quod in regula illa committendum
omittendumue dicitur.

§. 43.

Lex physica mihi est regula, ad quam actiones suas
componere agens physice obligatur.

§. 44.

m) §. 118. P. I. philof. pract. vniuersal,

n) de I. N. & G. L. I. cap. I. §. 21.

o) §. 475. Ontol. Wolff.

§. 44.

Lex moralis vocatur regula ad quam actiones suas componere agens moraliter obligatur.

§. 45.

Actiones externae humanae vocantur quilibet corporis humani organici motus. *Actiones brutorum externae* sunt quilibet corporum brutorum organicorum motus.

§. 46.

Actiones internae humanae sunt quaevis animae humanae actiones. *Actiones contra brutorum internae* sunt quaevis animarum brutorum actiones.

§. 47.

Animalia nimirum bruta animas habent, quae cum a corporibus eorundem distinctae sint (§. 749. Psychol. rational. Wolff), tum nec corporeae sunt neque materiales (§. 752. Psychol. rational. Wolff), sed substantiae simplices (§. 753. Psychol. rational. Wolff), irracionales tamen (§. 762. Psychol. rational. Wolff), libertate destitutae (§. 763. Psychol. rational. Wolff), & sensitiuae (§. 754-758. Psychol. rational. Wolff.) Nos quidem haud fugit, haec, quae de animabus brutorum carptim breviterque perstrinximus, quaestione atque controversia neutiquam vacare: varias tamen philosophorum hac de re sententias enumerandi easdemque pertentandi nullam hoc loco opportunitatem nobis esse arbitramur. Adeat, cui volupe est philosophorum de animabus brutorum placita eorundemque diversitatem pernoctare, MORHOFFII *polybistorem* p), BAEIVM q),

Fov.

p) T. II. L. II. p. 2. cap. 45. no. 4. p. m. 437.

q) dict. hist. & crit. Art. RORARIUS, Rem. H. p. 966. ed. 1697.

FovRETERIANA r), BARBEYRACVM s), CYPRIANI
 continuationem historiae animalium WOLFFGANGI FRAN-
 ZII t), Jo. ALBERTVM FABRICIVM u), BVD-
 DEVM v), denique summe venerabil. RIEBOVIUM w).

§. 48.

Physice necessarium illud voco, cujus oppositum
 posita entis cujusdam natura siue constitutione impos-
 sibile est. *Actiones* igitur entis *physice necessariae* illae
 sunt dicendae, quarum oppositum posita entis natura
 siue constitutione est impossibile. Manifestum igitur
 est necessitatem *physicam* illam esse, quae a natura siue
 constitutione rerum pender.

§. 49.

Haec *necessitatis physicae* definitio plane concordat
 cum illa, quam tradit ill. WOLFFIVS x); quod quidem
 facile ostendere possemus, si locus atque institutum id
 permetterent. Ex definitione vero *necessitatis physicae*
 a nobis tradita quisque intelligit, *physice necessarium*
 quoque dici posse illud, cujus oppositum *physice* est
 impossibile.

§. 50.

Actiones naturales siue necessariae illae sunt, quae
 per naturam animae & corporis determinantur (§. 12.

C

P. I.

- r) p. 38. edit. Lyonnens.
 s) in op. Puffendorff. de I. N. & G. L. I. cap. 3. §. 1. not. 1.
 t) P. I. cap. 2. p. 24.
 u) in not. ad Sext. Empir. Pyrrhon. hypotypos. L. I. cap. 14. p. 18.
 v) in Differt. de error. Stoicor. §. 6. 7. in anal. hist. philof. p. m.
 102. item de Atheismo & superstitione p. 503. 504.
 w) in Differt. adjecta libello RORARIJ.
 x) §. 575. metaph. germ. §. 109. Cofmol.

P. I. philos. pract. vniuersal. Wolff). Est igitur natura animae & corporis determinans, actiones vero naturales siue necessariae sunt determinata (§. 114. ontol. Wolff). Sed posito determinante determinatum necessario ponitur (§. 297. ontol. Wolff). Posita itaque natura animae atque corporis, necessario ponuntur actiones necessariae siue naturales. *Actiones igitur necessariae siue naturales sunt physice necessariae (§. 48.)*

§. 51.

Quaedam actiones externae humanae sunt physice necessariae.

DEMONSTRATIO.

Motus enim cordis, secretio vrinae in renibus, actio ventriculi cibos concoquentis caet. sunt motus corporis organici humani adeoque actiones humanae externae (§. 45.). Enim vero motus cordis, secretio vrinae in renibus, actio ventriculi cibos concoquentis caet. non pendent a voluntate libera, sed per naturam corporis humani determinantur; quod experientia adfatim testatur, & physices atque medicinae cultoribus exploratum satis est atque manifestum. Sed actiones corporis humani, quae a voluntate animae humanae libera non pendent, sed per naturam corporis determinantur, sunt actiones corporis naturales siue necessariae (§. 12. P. I. philos. pract. vniuersal. Wolff). Motus igitur cordis, secretio vrinae in renibus, actio ventriculi cibos concoquentis caet. actiones humanae externae naturales siue necessariae. Sunt igitur motus cordis, secretio vrinae in renibus, actio ventriculi cibos concoquentis caet. actiones humanae externae naturales siue necessariae. Sed actiones omnes naturales siue necessariae sunt physice necessariae (§. 50.). Motus igitur cordis,

dis, secretio urinae in renibus, actio ventriculi cibos concoquentis caet. sunt actiones humanae externae physice necessariae. Sunt igitur quaedam actiones humanae externae physice necessariae. Q. E. D.

§. 52.

Quaedam actiones humanae internae sunt physice necessariae.

DEMONSTRATIO.

Adpetitiones atque auersationes sensitivae, quibus anima quoque humana praedita est (per principia psych.) sunt animae humanae actiones, adeoque actiones humanae internae (§. 46.). Sed adpetitiones atque auersationes sensitivae animae humanae sunt actiones naturales siue necessariae (§. 15. P. I. phil. pract. vniuers. Wolff.). Adpetitiones igitur atque auersationes sensitivae animae humanae, sunt actiones humanae internae naturales siue necessariae. Sed omnes actiones naturales siue necessariae sunt physice necessariae (§. 50.). Adpetitiones igitur atque auersationes sensitivae animae humanae, sunt actiones internae humanae physice necessariae. Sunt igitur actiones quaedam internae humanae physice necessariae. Q. E. D.

§. 53.

Si actiones quaedam humanae physice sunt necessariae; hominibus quaedam inest agendi vel non agendi necessitas physica. Sed quaedam actiones humanae sunt physice necessariae (§. 51. 52.). *Inest igitur hominibus quaedam agendi vel non agendi physica necessitas.*

§. 54.

Omnes animalium brutorum actiones internae sunt physice necessariae.

C 2

DE:

DEMONSTRATIO.

Omnes enim animalium brutorum actiones internae sunt actiones animarum animalium brutorum (§. 46). Sed omnes animarum animalium brutorum actiones sunt sensationes, imaginationis atque memoriae effectiones, adpetitiones atque auersationes sensitivae; cum animae brutorum sensu tantum, imaginatione, memoria, adpetitu sensitivo atque auersatione gaudeant sensitiva (§. 770. psychol. rational. Wolff). Omnes igitur animalium brutorum actiones internae sunt sensationes, imaginationis atque memoriae effectiones, adpetitiones atque auersationes sensitivae. Sed cum animalia bruta omni destituta sint libertate (§. 763. psychol. rational. Wolff.); sensationes, imaginationis atque memoriae effectiones, adpetitiones atque auersationes sensitivae animalium brutorum non a libertate voluntatis, sed a natura animarum animalium brutorum determinantur (per principia psychol.). Omnes idcirco animalium brutorum actiones internae a natura animarum animalium brutorum, minime vero a voluntatis libertate determinantur. Sed actiones, quae non a voluntatis libertate sed a natura animae determinantur, sunt actiones naturales siue necessariae (§. 12. P. I. philof. pract. v. niuers. Wolff). Omnes igitur actiones animalium brutorum internae sunt actiones necessariae siue naturales. Actiones necessariae siue naturales, sunt actiones physice necessariae (§. 50.). Omnes igitur animalium brutorum actiones internae sunt physice necessariae. Q. E. D.

§. 55.

Omnes actiones animalium brutorum externae sunt physice necessariae.

DE-

DEMONSTRATIO.

Omnes enim actiones animalium brutorum externae sunt motus corporum organicorum animalium brutorum (§. 45.). Sed cum animalia bruta omni careant voluntate libera (§. 763. psychol. rational. Wolff.); motus quoque corporum organicorum eorundem non a voluntate libera, sed ab essentia atque natura corporum organicorum tantum determinantur, licet auerfationibus atque adpetitionibus sensitiuis animalium brutorum conuenienter contingant (per principia psychologica.). Omnes igitur actiones animalium brutorum externae ab essentia atque natura corporum organicorum animalium brutorum determinantur. Actiones, quae a natura atque essentia corporum quorumlibet determinantur, sunt necessariae siue naturales (§. 12. P. I. philos. pract. vniuers. Wolff.). Omnes igitur actiones animalium brutorum externae sunt necessariae siue naturales. Actiones necessariae siue naturales sunt physice necessariae (§. 50.). Omnes igitur actiones animalium brutorum externae sunt physice necessariae.
Q. E. D.

§. 56.

Si actiones brutorum sunt physice necessariae, animalibus brutis est quaedam agendi vel non agendi physica necessitas. Enim vero omnes actiones animalium brutorum sunt physice necessariae (§. 54. 55.). *Est igitur animalibus brutis quaedam agendi vel non agendi physica necessitas.*

§. 57.

Datur obligatio physica passiu.

DEMONSTRATIO.

Hominibus enim est quaedam agendi vel non agendi

gendi necessitas physica (§. 53.); animalia quoque bruta subsunt physicae agendi vel non agendi necessitati (§. 56.). Datur itaque necessitas agendi vel non agendi physica. Necessitas agendi vel non agendi physica est obligatio passiva physica (§. 35.). Datur itaque obligatio passiva physica. Q. E. D.

§. 58.

Hinc *realitas* siue *possibilitas* definitionis obligationis passivae physicae a nobis supra (§. 35.) expositae praecclare intelligitur. Tametsi vero homines *obligationi physicae passivae* subesse ex demonstratione antecedente (§. 57.) recte colligatur: nulla tamen inde effici potest ratio, non nisi *physicam obligationem*, ex nostra sententia, in homines cadere. Quin in disputatione proxime sequente sumus demonstraturi, homines quoque *obligatione morali passiva* obstrictos teneri, quae cum *obligatione passiva physica* maxime conspiret. Caeterum inter actiones ad quas homines, easque ad quas animalia bruta *physica* adiguntur *obligatione*, aliquid intercedit discriminis; quod vero hoc loco curarius expendi a nobis nequitiam potest.

§. 59.

Ex haecenus vero copiose fatis disputatis, apertum atque exploratum cuilibet esse potest, omnia quoque corpora *obligatione physica* esse devincta, eaque de re *obligationis physicae passivae* vim latissime patere iisdemque, quibus natura rerum, finibus contineri.

§. 60.

Cum homines pariter atque animalia bruta necessitati agendi vel non agendi physicae pareant (§. 53. 56.), necessitas vero agendi vel non agendi physica sit obligatio

gatio physica passiva (§. 35.): consequens est, homines aequae atque bruta obligationi physicae passivae subesse. *Obligatio igitur physica passiva hominibus atque animalibus brutis est communis.*

§. 61.

Cum vero obligatio physica passiva sit obligatio passiva proprie dicta (§. 35. 9.): manifestum est, in animalia bruta cadere obligationem passivam proprie dictam. Hinc vindicari possunt STOICORVM atque veterum JCTORVM placita animalia bruta legibus atque jure vivere consentium y). Atqui nosmet hujus sententiae causam agemus in dissertatione sequente; licet horumdem philosophorum porticensium de anima mundi z), de animabus brutorum essentiae diuinae particulis aa) & ratione praeditis bb) dogmata nostra non faciamus cc). Quotquot autem in animalia bruta vel nullam plane vel non nisi improprie dictam cadere putant obligationem, veluti

y) v. EVERARDVS OTTO in orat. de Stoica Jctorum philosophia Duisburgi 1715. Princip. Inffit. de I. N. G. & C. conf. HEVMANNI act. philof. T. I. P. I. §. 27.

z) CICERO academ. L. I. cap. 6. SENECA ep. 65. DIOGEN LAERT. L. II. §. 134. conf. LIPSII physiol. Stoic. L. I. diff. 8.

aa) BVDDVS in dissertat. I. de error. Stoicor. §. 6. p. 101. anal. histor. philof.

bb) BVDDVS l. c. §. 7.

cc) Ex hisce doctrinis enata fertur juris naturalis in Jctorum veterum libris tradita definitio; qua de re tamen valde dubitat BARBEYRAC not. 2. ad §. 2. cap. 3. L. II. Puffendorffii. Immo idem l. c. probat perperam STOICIS tribui de animabus brutorum ratione praeditis sententiam; qua in re nos consentientes habet. Ex doctrina enim STOICORVM, quam exhibent DIOGENES LAERTIVS in vita ZENONIS L. VII. & STAN-

Iuti GROTIVS dd), PUFFENDORFFIVS ee), HOCHSTETTERVS ff), THOMASIVS gg), BEYERVS hh), illi omnes de *moralis* loquuntur *obligatione*, cujus animalia bruta prorsus non esse capacia in sequentibus demonstrabimus.

§. 62.

Supereft, vt legum physicarum existentiam, iisque jus quoddam animalibus brutis atque hominibus commune constitui demonstremus, quatenus obligatio & lex physica positivae nomen mereantur obligationis atque legis doceamus, denique deum utriusque auctorem esse solide vincamus. Sed ea omnia quo minus in praesenti a nobis expediri queant, graues officiant rationes. Eorundem igitur expositionem in aliud tempus rejicimus, eamque in *dissertatione de notione obligationis atque legis secunda* plenissime dabimus.

& STANLEYVS in histor. philos. p. 637. potius ratione carent bruta animalia. Sed de his olim curatius dicendum.

dd) de I. B. & P. L. I. cap. 1. §. 11.

ee) de I. N. & G. L. II. c. 3. §. 2.

ff) in dissertatione de facultate hominis intellectiva volitiva ac fermocinante §. 7.

gg) in jurisprudentia diuina L. cap. §.

hh) in delineat. juris. diu. natural. cap. 7. §. 53.



AB 152989

ULB Halle

3


002 420 562




Sb.

1078
1077







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

32

D. B. V.
PHILOSOPHICA PRIMA
DE
NE OBLI-
IS ATQVE
EGIS
VAM
IS DIVINIS
GYMNASII IL-
DLINBURGENSIS
IORI
xxxix. HORAE A MERIDIE
ESIDE
VER. WINEKENIO
IS QVEDLINBURGEN-
ETATIS LATINAE JENEN-
SODALI
TYEBITVR
VS SALFELD
LINB. SAXO.
LINBURGI,
SCHWANII, AVL. TYPOGR.

47

